



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

11. Deo longè decentiùs conuenire, vt aquis plectat reos, quàm  
hominibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

semotiùs à nobis secedere, & per intolerantiam atque immobilem animi rigorem, vita resituamur tranquilliori. Quod enim peccati genus usquam inueniatur atrocius desperatione? Iudas ille Domini proditor, quàm pusilli erat & abiecti animi? quàm rudis & expers conflictus tentationum? Ob hoc enim spem omnem à se cum abjecisset, insiliente in eum inimico, funiculo sibi profocauit gulam. At Petrus, solida illa petra, non in peccatum impigit? nec mediocre? Verùm is, tanquam, qui tales conflictus doctrina experientia didicisset, ob maleloquam negationem, spem neuiquam abiecit: sed lachrymas adhibuit pacariis, apud Dominum, & conciliatrices. Huius igitur imitatione, ad aquas lachrymarum confugiamus, non insiliamus in Barathrum desperationis.

## XI.

Quamquam mihi nunc non est animus, vel Caius, vel Caius agitare, aut de erigendis illis in spem, disputare. Illud ostendo, hominum peruersa ingenia, aquas in utilitatem maximam à mundi Conditore datas, in suam ipsorum perniciem conuertere, & se ipsos aquis pletere; cur ergo indignantur, si id erga illos faciat DEVS, qui illos plectendi jus habet, ac potestatem? Illi id, cum scelere faciunt, DEVS cum laude. Cleomenes Methymnæorum tyrannus lenas, in fassis ligatas, submergi curabat, & laudabatur. Tot lenas, & lenones, & lenocinantes alit terra, & non plectat aqua, iudice DEO? à quo parata sunt derisoribus iudicia. Augustus Cæsar pædagogum ministrosque Caij filij, per occasionem valetudinis, mortisque eius, superbè auarèque, in prouincia, grassantes, oneratos graui pondere, ceruicibus, præcipitavit in flumen. Quod factum inter gloriæ illius decora numerabatur. Et hæsitabimus, trutinæque nostra dignum censebimus, si quem, permitte DEO, aquis haustum audiamus? Quis præscribet, ut ignibus potius, aut ferro utatur, si quem, per aquas vult ad se euocare? aut in fluuio, non in rogo punire? Siquidem iudicium à Domino creditur singulorum. Quod si agnoscerent aquis læsi, non essent musca illa insipientiores, impatientioresque, quæ in carnum ollam decidit, & moriens dixit: *Ego tantum bibi, & comedi, & laui, ut hunc satura exitum ferre haud molestè debeam.* Cordati est, id quod necesse est, ferre, & boni consulere.

## XII.

Alia fabella est lepida, & ad mores poliendos huic loco admodum

Athenæus  
lib. 10.

Prou. 19. 29.  
Sueton. in  
Aug.

Prou. 29. 26.